

19. *Achyrophorus Robertia* (flore dilute aureo, caule squamoso).

20. *Achyrophorus ciliatus* (flore rubro, caule foliato).

1. *Achyrophorus Jussieu* C. H. Schultz.

Achaeniis omnibus rostratis, periphericis centralibus multo longioribus, suberosis, (caule glabro, parce squamoso, involucri hirti squamis anguste lineari-lanceolatis).

Historia. Anno 1835 cel. lib. Baro Adrian. de Jussieu hanc speciem, a cl. Goy in Chile lectam, cum *Achyrophoro tenuifolio* mecum communicavit. Prius pro novo genere habui, et *Geropogonoidem Jussieu* vocavi, quia achaenia peripherica, uti in genere Linnaeano *Geropogonte*, iis disci multo sunt longiora; postea vero hanc stirpem generi *Achyrophoro* ut subgenus substituere optimum duxi.

Descriptio sequens secundum specimen mancum facta est, e parte superiore caulis cum capitulo constans. Caulis pars superior, quam coram habeo, est 1-cephala, 11 pollices longa, teres, sulcato-striata, glabra, efoliata, squamis munita paucis (3-4) linearibus vel sub involucre ovato-subulatis. Capitulum magnitudine capitulorum *Hypochoeridis radicatae* L. Involucrum imbricatum, 7 lineas altum, squamis constans circiter 20, exterioribus anguste lineari-lanceolatis, $2\frac{1}{2}$ -4, imo 5 lineas longis, interioribus ad 7 lineas longis, linearibus, linea una vix latioribus, obtusiusculis, medio dorsi obscure virentibus, marginem versus albidioribus et scariosis, dorso pilis simplicibus parce hirtis. Flos speciminis mei defloratus. Receptaculum paleis munitum 7-8 lineas longis, 1-nerviis, acuminatis, scariosis. Achaenia (non penitus matura) difformia: peripherica 6-7 lin. longa, albentia, suberosa, 10-striata, sensim sensimque in rostrum transeuntia achaenii corpus subaequans; disci $2-2\frac{1}{2}$ lineas longa, brunnea, rostrata, rostro pariter achaenii corpus subaequante. Pappus

5 lineas longus, persistens, 1-serialis, sordide albens, plumosus, radiis constans circiter 20 plumosis (plumulis persistentibus) subaequalibus, inferne incrassatis, nec scariose dilatatis.

Patria. In Chile leg. cl. Goy! (v. sp. mancum a cl. Adr. a Jus-sieu communicatum).

2. *Achyrophorus Webbii* C. H. Schultz.

Achaeniis rostratis subaequalibus, involucri squamis lineari-lanceolatis, inferioribus hispidis, radice praemorsa, fibris numerosis, crassis, longisque munita, (qua nota cum pluribus generis Leontodontis speciebus convenit et ab omnibus Hypochoerideis differt), foliis radicalibus lanceolatis dentato-pinnatifidis hirtis, caule solitario 1-cephalo glabro, squama solitaria munito, achaeniorum submuriculorum corpore rostrum paulo superante. (Planta vix 2 pollices alta).

Historia. In herb. cl. Webb., fautoris optimi, cuius benignitati hanc pluresque alias acceptas fero species, exstat cum inscriptione sequente: „*Scorzonera*. I. Malouines. G. (Gaud).“ Cl. et modestissimus Webb. postea (a. 1839) nomen aptissimum (*Achyrophori* praemorsi) pro stirpe hac proposuit nova.

Descriptio. Radix 2, e rhizomate constans 2-3 lineas longo, praemorso, fibris munito numerosis (6-7) ultra pollicem longis, cylindricis, $\frac{1}{4}$ lineam et ultra in diametro habentibus. Folia radicalia rosulata, 10-12 suberecta, 6-10 lineas longa, 2-4 lineas in ambitu metientia, lanceolata, acuta, undulata, dentato-pinnatifida, (pinnis dentibusve 1-1 $\frac{1}{2}$ lineas latis, lineari-lanceolatis, acutis, subintegris, subundulatis) pilis simplicibus parce adspersa. Caulis solitarius, 1-cephalus, erectus, sine capitulo 1 pollicem longus, pube adspersus albente, in planta fructigera subevanescente, ceterum glaber, superne squama munitus solitaria, 2 lineas longa, subulata, dorso pilis paucis adspersa